



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Literarvm Dimissorialivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

Item, quia excommunicatio est sententia in cuius prolatione personarum acceptio prohibetur cap. 12. necesse 3. quæst. 9. item excommunicatio datur in penitentiam in cuius impositione eadem acceptio prohibetur cap. Sacerdos 27. quæst. 7. & quando esset habenda dignitatis personæ consideratio id in dignitate constitutus, & peccans; quam ceteri propter scandalum, atque malum, quod alijs præstant exemplum cap. cum quidam vbi Bald. de iure iur. l. præbyteri C. de Episcopis, & cler. Bart. in leg. prædium §. diuus ff. de incend. ruin. & naufrag. glof. in cap. non non cogantur.

12 Omnes Reges debent confiteri peccata sua Parocho eorum residentia capitulo omnes, & ibi glof. 1. de maior. & obedient. ex priuileg. habent, vt possint eligere Confessorem Host. in capitulo conquerente de offic. ordinari. Corfet. in tractat. de potestat. Regia parte 3. quæst. 35. consuetudo hoc non posset inducere capitulo secundo de penitent. & remis. lib. 6. quia neruus Ecclesiasticæ disciplinæ ex hac consuetudine frangeretur cap. cum venerabilis de consuetudine, & propter quas causas huiusmodi exemptiones conceduntur ponit Baldus de Perigl. in tractat. de exemptione, sed quantumuis Principes sint exempti semper debent reuerentiam proprio Episcopo, ita dicit Bald. consuliisse Oldradum in l. fin. n. 5. C. de bonis libert. & latè congerit Felyn. in d. cap. conquerente de officio ordinari. quia in propria diocesi Episcopus 16 est maior Imperatore dicto cap. omnes de maior. & obedient. ergo subditi Episcopali reuerentiæ de eius dignitate dicuntur esse.

Quare contra turbantes Ecclesiæ iurisdictionem, ac censuras Ecclesiasticas contententes in Cœna Domini fulminatas ab Episcopo excommunicationem feri posse nulla distinctione personarum habita, siue potius censuris affectos declarari non est 17 dubitandum; si delegati iurisdictione conturbata fuerit est per ordinarios hoc faciendum Innocent. in dicto cap. dilectus V. delegati per ordinarios de penis Bartol. in l. penult. in fin. ff. de falsis, nisi in literis id fuisset specialiter concessum, si adeo exempti 18 fuerint ab ordinario, de quo per Canonistas in cap. cum personæ de priuileg. libro 6. Papa, vel Legatus de latere animaduertit, vt notatur in cap. quod translationi de officio delegat. quod ceteris legatis non permittitur, ergo neque sententia, neque citatio coram ordinario facta valebit, quia a non suo iudice neque vti contumaces poterunt censuris affici clem. Pastoralis §. notorium versic. Pisana, & ibi glof. de re iudic. glof. in cap. veniens de accusat. cap. si Episcopus 2. q. 4. & ibi glof. in vers. conuocari, & in versic. propter contumaciam Innoc. in cap. secundo de dilationibus l. non videtur in 1. ff. de iud. sed hoc procedit si notoriè sit exemptus, & diu toleratus in priuilegio exemptionis, sicut sunt religiosi mendicantes; si verò 19 non constat tunc tenentur comparere, & allegare priuilegium dicto cap. personæ de priuileg. in 6. & propterea ratione debita reuerentiæ etiā in supradicto casu censuris affici possunt, nisi speciale a Papa habuerint priuilegium, quod a nullo valeant excommunicari Riccard. in lib. 4. sentent. dist. 18. Siluestrina in verb. exemptio §. 8. num. 6. sed ego hoc priuilegium intelligo in excommunicatione ex causa noua incurrenda, non autem de censuris, in quas incidunt in Bullam Cœnæ Domini contravenientes, quæ singulis annis ab ipso eodem Summo Pontifice consulente concilio renouatur, atque publicatur, & Episcoporum est declarare, vt vberimè pertrahabo.

PRAXIS LITERARVM DIMISSORIALIVM.

RESOLVT. CCXXXIX.

- 1 Vicarius generalis Episcopi non potest concedere literas dimissoriales, & ideo tales ordinati incidunt in penam extrauag. cum ex sacrorum, & limita n. 2.
- 2 Quando Vicarius habet speciale mandatum ab Episcopo etiam ad Sacros ordines potest literas dimissoriales concedere, & limita n. 3.
- 4 Vicarius Regis comitis, vel Archiepiscopi absentis potest pro illo assensum præstare.
- 5 Vicarij potestas est ordinaria, & fauorabilis.
- 6 Etiam Episcopo præsentem potest Vicarius literas dimissoriales suis subditis concedere, & eo magis de mandato Episcopi.

An literæ dimissoriales possint dari a Vicario.

- 1 **F**Vit dubitatum, si Vicarius generalis Episcopi potuisset concedere literas dimissoriales ordinatis, & consequenter si taliter ordinati incidere in penam extrauagant. cum ex sacrorum, & respondi negatiuè per tex. expressum in c. cum nullus §. inferiores de temporibus ordinan. tenet in specie Rebuff. in prax. benef. par. 1. tit. de forma vicar. n. 47. Sbroz. de vicar. Episc. lib. 2. q. 41. & latè comprobat Mandos. contraria diluendo in comment. in regul. cancell. Apost. tom. 2. reg. 24. q. 2. quæ conclusio limitatur infra scriptis modis, &
- 2 Primo limitatur quando Vicarius haberet speciale mandatum ab Episcopo, vt huiusmodi literas dimissoriales ad ordines etiam sacros concedere posset glof. in d. cap. cum nullus §. inferiores in vers. non extendat, fatentur præd. doct. quibus adde quod tale mandatum præsumitur præcedere, quando Vicarius publicè pro habente hanc authoritatem reputaretur, veluti quia talem licentiam ad ordines recipiendos tribueret præsentem, & sciente Episcopo Crescent. decis. 1. n. 4. sub tit. de off. vicar. imò cum per curantes huiusmodi licentias impetrare, non soleat deueniri ad illam inquisitionem, an vicarius ad id sufficiens habeat mandatum, vel ne, ista bona fides, vniuersalis credulitas, ac reputatio debet sufficere saltem ab excusando à penis huius constitutionis, & in alijs iuribus contentis, ita Mandos. d. q. 6. num. 7. qui etiam inferius num. 15. arbitratur, vt ad hanc excusationem non sufficiat simplex credulitas, sed tunc demum quando veniret iustificanda ex eo, quod talis promotus vidisset innumeros antea similiter ordinari cum literis aliorum vicariorum generalium, quibus eam facultatem habentibus, hasq; licentias concedere solitis successisset præfens vicarius, qui ei hanc tribuit licentiam.
- 3 Secundo limitatur in casibus, in quibus conceditur facultas vicario dictas literas concedendi, videlicet, vel de speciali mandato Episcopi Rebuff. de vicar. Episcop. num. 87. vel Episcopo agente in remotis cap. cum nullus de temp. ordin. in 6. Enriquez in summa lib. 10. de ordin. sacram. c. 22. in fin. versic. literas reuerendas; prout dicimus de vicario Regis, comitis, vel Archiepiscopi absentis, pro quibus poterit ille consensum præstare Archid. in cap. Reatina dist. 63. quem communiter approbari dicit Gomef. in regula de impetr. benef. vacan. per obit. familiar. q. 22. reprobato Romano contrarium sentiente singul. 693. incip. ex longeva. Quæ quidem habent locum, vt valeant dimissoria concessa a vicario, etiam mortuo Episcopo agente in remotis, si non constabat de eius obitu, cum vicarij potestas sit ordinaria, & fauorabilis. Enriquez d. cap. 22. in litera P. vbi etiam sub-

subdit illas non expirare per mortem, aut finitam potestatem concedentis etiam re integra Cardin. in Clem. fin. de elect. q. 1. Rebuff. de form. dimiss. num. 39. Nauar. consil. 1. de tempor. ordin. & in apologia. de redditibus q. 3. monit. 8. nu. 2. ita ut dicta concessio dimissorialium possit fieri tam ex causa aegritudinis Concil. Trident. c. 3. sels. 23. de reform. quam ex alio impedimento, etiam quod causa non exprimitur cum de consuetudine illius expressio non sit necessaria. Rebuff. in praxi de liter. dimissor. num. 28.

Et ad huius limitationis coronidem vide Molfes. de sacramento ordinis c. 3. num. 22. cum verba sunt.

Et licet vicarius Episcopi non possit concedere has dimissorias nisi Episcopus esset absens in partibus longinquis, ut habetur in d. c. cum nullus, & post alios notat Menoch. lib. 2. de arbitrar. iud. casu 222. num. 9. nihilominus Io. Andr. in d. c. cum nullus, notat, hoc non seruari in praxi, quia etiam Episcopo presente has literas dimissoriales suis subditis concedit Vicarius ex tacito consensu Episcopi. Et eo magis hoc facere potest Vicarius de expressa licentia, & mandato Episcopi, ut post Rebuff. & alios notat. Quaranta in d. verbo ordo §. vertitur tamen in dubium fol. mihi 374. & satis est praxis notoria, & quando est absens Episcopus dispensat vicarius, etiam in interdictis, ut censuit Sacra Congregatio die 5. Martij 1597.

RESOLVT. CCXI.

- 1 An Episcopus existens extra diocesim possit concedere literas dimissoriales suis subditis, vide num. 5.
- 2 Episcopus non potest conferre ordines etiam proprijs subditis in aliena diocesi.
- 3 Voluntaria iurisdictio competens iure speciali non potest exerceri extra territorium.
- 4 Ius commune permittit Episcopis collationem beneficij extra diocesim.
- 6 Voluntaria iurisdictio potest exerceri in alieno territorio per Episcopum.
- 7 Quam non potest exercere si contentiosè vellet procedere.
- 8 Episcopus in alieno territorio potest causas delegare.

Literæ dimissoriales an possint concedi per Episcopum extra diocesim.

Debitum fuit in hac materia si Episcopus existens extra diocesim possit concedere literas dimissoriales suis subditis pro ordinibus recipiendis, & primo intuitu videbatur negandum, ex quo Episcopus egrediens prouinciam suam habeatur pro priuato l. 3. de offic. praesid. Gemin. in c. si Abbatem nu. 4. de elect. in 6. & ideo prohibetur iurisdictionem exercere extra suam diocesim c. Episcopi 9. quæst. 1. cap. 2. de constit. in 6. l. fin. de iurisd. omn. iudic.

Hinc prouenit Episcopum non posse conferre ordines etiam proprijs subditis in aliena diocesi Alber. in l. vltima de iurisd. omni. iud. ex quo in ministerio sacrorum ordinum fit collatio ab Episcopis celebrantibus diuina officia indutis vestibus Pontificalibus, unde requiritur consensus diocesani gl. in Clem. vltim. de priuileg. Abbas in cap. ex tuarum nu. 1. r. de author. & vlt. pall. Couar. d. c. 20. num. 9. vbi etiam subdit, secus esse in prima tonsura Rebuff. de nomin. q. 14. num. 29. eo maxime cum voluntaria iurisdictione competens iure speciali, vel priuilegio non possit exerceri extra territorium Roman. singul. 49. per tex. in c. statutum de prebend. in 6. Curt. Iun. in l. vltima col. 1. de iurisd. omni. iudic. ut per multa concludit Couar. lib. 3. variar. resoluc. cap. 20. num. 9. versic. cæterum, ut quæstionem propositam.

Necque obstat d. c. statutum quia ibi est speciale in

beneficij vacantibus in curia Bisig. decil. 5. in fin. de offic. Vic. Boer. decil. 30. numer. 6. vnde in alijs casibus ius commune permittit Episcopis collationem beneficiorum intra aliam diocesim Couar. d. c. 20. num. 9. in fin. vers. quarto idem.

Ceterum supradictis minime suffragantibus contrarium resoluendum cenfeo cum literarum dimissorialium concessio sit voluntaria iurisdictionis, cum possit expediri per Episcopum non sedentem pro tribunali absque strepitu iudiciali, & causæ cognitione, & parte non opponente, quæ omnia denotant voluntariam iurisdictionem, & faciunt differre a contentiosa, ut per Syluest. & alios in summa in verb. iurisdictione l. emancipari vbi Doctor. de adoptione, & quod dare licentiam pro ordinibus sit voluntaria iurisdictionis in specie dicit Pelyn. in cap. ex parte col. 3. in fin. versic. non obstat quod ea de constit. post Domin. in cap. fin. de offic. vicar. in 6. vnde Episcopus poterit concedere literas dimissoriales subditis suis, etiam extra suam diocesim cum ea, quæ sunt voluntaria iurisdictionis possint per Episcopum exerceri in alieno territorio, & in quolibet loco praesertim in actu, qui est singularis aliquibus cap. nouit, & ibi Abb. num. 3. de offic. legat. l. 2. ff. de offic. proconf. Vital. in Clem. vnica in princip. num. 24. & ibi Card. de for. compet. Gemin. in cap. si Abbatem nu. 3. in fin. de elect. in 6. secus verò si contentiosè vellet procedere, quia tunc non posset Bald. in l. si ex consensu nu. 10. C. de Episcop. audien. Abb. in d. c. nouit. numer. 3. in fin. immo non solum Episcopus sed etiam eius vicarius poterit facere ea, quæ sunt voluntaria iurisdictionis extra territorium Gemin. in cap. vit. in fin. de offic. vicar. in 6. vbi exemplificat in vicario habente speciale mandatum ad conferenda beneficia, qui poterit illa conferre extra diocesim, sicut posset Episcopus, tum quia est ordinarius c. penult. de offic. vicar. in 6. tum quia conferre est voluntaria iurisdictionis, ergo extra territorium poterit fieri l. 2. ff. de offic. proconf. quam l. ita esse intelligendam dicit Gemin. in d. c. vit. in fin. quæ autem dicta sunt, de collatione beneficiorum extra diocesim intelligi procedere præterquam in curia præsentem Papæ, & hoc de stylo, licet secus sit de iure Gomes. de non iudic. iux. for. supplicat. q. 3. Falcon. de referat. q. 4. princ. q. 20. Paul. in pract. Cancellariæ quæst. 82. Paulm. de potest. cap. sed. vac. quæst. 1. par. 2. col. 3.

Eo magis, quia Episcopus in alieno territorio potest causas delegare Vital. in Clem. vnica in princip. nu. 24. vers. idem in delegatione, & ibi Card. numer. 1. Archid. in d. cap. si Abbas de elect. in 6. glof. in fin. in d. cap. nouit vbi Abb. num. 3. & Innoc. num. 2. de offic. legat. Bart. & Bald. in l. fin. ff. de offic. praef. vrb. vnde, & dictas literas concedere.

RESOLVT. CCXII.

- 1 Episcopus non potest ordinare subditos suos in aliena diocesi absque licentia diocesani, & illa obtenta non solum illius Episcopi, sed etiam suos subditos, & alios cuiuscunque loci ordinare potest.
- 2 Episcopis est imposita pena suspensionis non conferendi ordines si absque literis dimissorialibus alienos ordinant subditos.
- 3 Episcopus etiam accersitus à superiore loci exempti non potest exercere pontificalia, nisi de licentia Episcopi eiusdem loci, extra cuius fines manet locus exemptus.
- 4 Pena suspensionis Episcoporum, limitatur nu. 4. & 5.
- 6 Potest Episcopus sine licentia diocesani conferre suo subdito primam tonsuram.
- 7 Prima tonsura non est ordo.
- 8 Episcopus ut possit sine licentia ordinare subditum suum prima tonsura non debet esse tantum Episcopus titularis. Epi.

Episcopus non potest ordinare suos subditos in aliena diœcesi absque licentia Episcopi diœcesani.

- A**D materiam literarum dimissorialium etiam pertinet inquirere hoc pertractare propterea.
- 1 dicas Episcopum non posse ordinare subditos suos in aliena diœcesi sine licentia Episcopi diœcesani exercendi pontificalia in dicta diœcesi, quo casu si licentiam obtinuerit non solum subditos illius Episcopi, sed etiam suos proprios diœcesanos, & omnes alios cuiuscumque loci posset ordinare dummodo habeant dimissoriales literas, vel in particulari quod ordinentur ab illo Episcopo, vel in generali, quod ordinari possint à quocunque Catholico Antistite, vt colligitur ex Trident. sess. 7. de reformat. cap. 11. & sess. 23. de reformat. cap. 8. & seqq. & ita die 6. Iulij 1595. & die 25. Iunij 1599. declaravit Congregatio Concilij, & die 25. Augusti 1592. & hoc ex quavis causa proprius Episcopus impeditus subditos suos non ordinet, & post alios notat Fornar. in d. tract. de ordine cap. 5. §. 4. in 2. notabilis sic etiam Lud. Mirand. parte 1. Manual. prælat. q. 38. art. 3. & est praxis notoria sine literis dimissorialibus proprii Episcopi ordinans alienos subditos incurrit suspensionem, non conferendi ordines, vel ordinem, quem illi contulit sine literis dimissorialibus proprii Episcopi etiam si conferret primam tonsuram, vt post Nauar. consil. 31. & 39. de temp. ord. Sayr. decis. 23. & 32. eodem tit. Grassium consil. 2. de temp. ordin. & hoc procedit etiam in loco exempto intra fines certæ diœcesis existente, vt Episcopus etiam accersitus à superiore loci exempti non possit ibidem exercere pontificalia, nisi de licentia Episcopi eiusdem loci extra cuius fines manet locus exemptus, vt censuit sacra Congregatio Concilij die 1. Iulij 1597. secus si locus ille esset subiectus eidem ordinario, qui illum vocat.
 - 4 Limitatur primo, quando Episcopus probabiliter ignorasset illos esse subditos alterius Episcopi, vt quia ordinatus habebatur pro subdito eiusdem ordinantis, quia, vt incurratur suspensio requiritur, vt dolose se gereret Episcopus, & ideo probabilis ignorantia facti illum excusabit, vt post Nauar. consil. 4. de temp. ordin. Vgolin. de potest. Episcopi §. 11. n. 26. quod patet ex terminis, quia talis probabilis ignorantia excusat ab omni delicto, & etiam a culpa, vt in tr. de peccato dicitur.
 - 5 Limitatur secundo quoties Episcopus ordinasset subditos alterius Episcopi sub probabilis rati habitatione proprii Episcopi, & ita egit S. Epiphanius, qui in diœcesi S. Ioannis Chrysostomi ordinavit sine licentia exercendi pontificalia in aliena diœcesi, & ordinavit etiam subditos dicti S. Ioan. Chrysostomi sine illius literis dimissorialibus, vt habetur in c. ult. 9. quæst. 2. quod nullo modo vir sanctius fecisset sine probabilis rati habitatione, & consensu de presenti eiusdem S. Ioannis, vt post alios notant Azor. par. 2. inffit. moral. lib. 3. cap. 48. quæst. 4. §. dubia quæst. est Vafq. d. tom. 5. disp. 31. sec. 1. n. 16. & 17. Fornarius dicto cap. 5. §. 4. sub 3. notab. & alij, qui docent hoc non esse passim faciendum, & etiam quod si proprius ordinarius post factum non habuerit ratam ordinationem, quamvis ordinatus tutus sit in foro conscientie, in foro tamen exteriori tenetur servare suspensionem ad evitandum scandalum, donec proprius Episcopus expresse ratam habeat ordinationem factam.
 - 6 Bene tamen verum est posse Episcopum sine licentia Diœcesani conferre suo subdito primam tonsuram in aliena diœcesi, nec esset suspensus; quia Concilium loquitur de Episcopo conferente ordines; sed

7 prima tonsura non est ordo, sed initium ad ordines, vt dicitur in seq. resolut. & potest, & solet concedi sine exercitio Pontificalium, vt bene post alios probat Tolet. lib. 1. suæ summ. cap. 49. num. 4. Azor. d. cap. 48. q. 5. §. quæ res. Rebuff. & alij quos sequitur Fornar. d. cap. 5. §. 4. in 3. notab. sed Episcopus non debet esse solum titularis; quia hic nec etiam primam tonsuram potest alijs concedere suo familiari sine licentia diœcesani, & si contrafecerit suspenditur per annum ab exercitio Pontificalium, & ordinatus est suspensus ab executione ordinum arbitrio sui ordinarij, vt habetur in Trident. sess. 14. de reformat. cap. 2. vbi variæ recensentur rationes, cur hoc fuerit introductum post alios Vafquez d. tom. 3. in 3. part. disp. 243. num. 47. & seqq.

RESOLVT. CCXLII.

- 1 Papa potest alicui concedere priuilegium, vt possit ordinari à quocunque Catholico Episcopo.
- 2 Ordinandus debet habere literas testimoniales proprii Episcopi de vita, & moribus ad obtinendum Pontificis priuilegium, & si non habuerit per annum est suspensus.
- 3 Afferuntur casus in quibus si non possint haberi literæ testimoniales possit Papa concedere priuilegium ordinandis.
- 4 Episcopus originis Episcopus beneficij, siue domicilij potest literas concedere.
- 5 In concedendis literis semper est præferendus Episcopus loci, in quo quis habet beneficium.
- 6 Episcopus potest ordinare familiarem suum non subditum & dare illi literas dimissoriales.
- 7 Prælati siue superiores Regulares possunt concedere literas dimissorias subditis suis ad suscipiendum ordines.
- 8 Sacra Congregatio statuit literas dimissoriales superiorum regularium debere fieri Episcopis Diœcesanis loci, in quo situm est monasterium, & de pœna contrauentium num. 9.
- 10 Capitulum Canonicorum sede vacante transacto anno potest concedere dimissorias ad ordines.
- 11 Capitulum infra annum concedit illis qui sunt coacti ad ordines suscipiendos propter beneficia.
- 12 Potest capitulum infra annum per alium Episcopum exercere pontificalia.
- 13 Potest etiam Capitulum concedere literas testimoniales de vita, & moribus.

Quibus personis indulgetur ius concedendi literas dimissoriales.

- R**espondetur multis primo est Papa qui potest alicui concedere priuilegium, vt possit ordinari à quocunque Catholico Antistite, quo casu solum requiruntur literæ testimoniales proprii Episcopi de vita, & moribus, vt declarauit congregatio Concilij in anno 1575. die 28. Aprilis, & si secus factum fuerit, Ordinans est suspensus ab exercitio Pontificalium per annum, & ordinatus suspensus est ab executione Ordinum arbitrio sui Ordinarij, vt habetur in Trid. sess. 23. de reformat. cap. 8. post alios notat Azor. dict. cap. 48. quæst. 6. §. quod si quis, & alij infra citandi, quod tamen non habet locum in prima tonsura, quia non est proprie Ordo, vt superius dictum est numero 7. & ita declarauit Sacra Congregatio, vt probant Tolet. dicto libro 1. cap. 49. num. 4. in fin. Suar. dict. tom. 5. de censur. disp. 3. sec. 1. num. 20. Fornar. dict. cap. 3. §. 4. qui subdit hanc primam tonsuram validam non esse ad obtinenda beneficia, quod etiam post alios probat Azor. dict. libro 3. cap. 49. quæst. 4. subdens hanc esse

esse praxim Rotæ Romanæ, & Congregatio respondit Episcopo Placentino, nempe ob eminentem doctrinam, vel bonum testimonium, & de consensu Ordinarij, videlicet quoad approbationem de vita, & moribus Summus Pontifex concedit, ut quis omnes ordines etiam præbiteratus breviori tempore sumere possit etiam extra tempora, si verò obtinens tale privilegium fuerit absens per plures annos, adeo ut Episcopus proprius non possit illum approbare de vita, & moribus, declaravit dicta Congregatio dicto die 28. Aprilis 1575. sufficere literas dimissorias Ordinarij, quæ continebunt quod Ordinandus non sit excommunicatus, vel contumax sed de legitimis parentibus, informatio verò de vita, & moribus habenda est ex loco, in quo fuerit versatus, quod est notandum.

4 Secundo Episcopus originis nempe, in quo aliquis natus est, sic etiam Episcopus beneficij, & Episcopus domicilij possunt concedere literas dimissorias subditis suis, ut habetur in capitul. cum nullus de tempor. ord. in 6. ut omnes notant, & Sacra Congregatio censuit, ut semper in hoc præferatur Episcopus loci in quo quis habet beneficium, in alijs verò casibus datur electio, quod intelligitur iuxta superius explicata, videlicet nisi ceperit ordinari ab vno Episcopo, quia tunc ab illo solum obtineret literas dimissoriales, ex quo illius tantum factus est subditus per electionem, & si subditum examinavit, & literis dimissorialibus hoc Episcopus affirmaverit non tenetur Episcopus, ad quem ordinandus mittitur illum examinare, nec inquirere super idoneitate, & literatura, & ita Sixtus Quintus audita sententia Congregationis declaravit.

6 Congregatio eiusdem Concilij censuit, quod Episcopus possit ordinare familiarem suum triennalem, non subditum, & dare illi dimissorias ad ordinandum a quocunque, dispensare tamen non potest super illis interdictis, de quibus scilicet. 23. ca. 12. & 14. nisi pro Ecclesiæ suæ utilitate.

7 Tercio Prælati siue superiores Regulares possunt concedere literas dimissorias subditis suis ad suscipiendum ordines, quod est per se notum, quia superiores sunt veri Ordinarij eorumdem Religiosorum, attamen Sacra Congregatio in anno 1596. die 15. Martij, ut referunt Sorbus in verb. ordines Sacri circa fin. Quaranta in dict. verb. Ordo §. quantum verò ad regulares fol. 392. & idem etiam de ordine Sancti. mem. Clem. Octavi die tertia Iunij 1599. declaravit,

8 quod superiores faciant huiusmodi dimissorias ad Episcopum Diocesenum loci, in quo situm est Monasterium, & si Episcopus ille fuerit absens, vel infirmus, vel ordinationem tunc temporis non habuerit, possunt superiores Regulares facere dimissorias directas illis Episcopis pro ordinatione suorum subditorum, dummodo ex industria non distulissent ad tale tempus, & ad tollendam omnem fraudem, fieri debet mentio in huiusmodi literis videlicet, quod Diocesanus sit absens, vel infirmus, vel tunc temporis non habeat ordinationem, quod si superiores aliter fecerint incurrunt priuationem officij, ac dignitatis, seu administrationis officij, ac vocis activæ, & passivæ, & in alias poenas reservatas arbitrio summi Pontificis, ut habetur in dicta declaratione post alios Mirand. dicta parte prima, quest. 58. art. 2. possunt etiam alijs, qui in eorum Monasterium serviunt concedere tales literas dimissoriales sicut subditis, & ita declaravit eadem Sacra Congregatio.

10 Quarto Capitulum Canonicorum sede vacante, transacto anno Vacationis potest concedere dimissorias ad Ordines, etiam si ordinandi non sint coacti suscipere ordines propter beneficia obtinen-

da, ut docet Nauarr. conf. 44. de tempor. ordinan. & post eum, Tolet. Forn. d. cap. 7. §. quarto, in 4. notab. Sayr. lib. 7. de censur. cap. 10. num. 35. quia satis est expectare per annum Episcopum successorem, & sic non debent subditi amplius detineri, quin ab alijs Episcopis cum dimissorijs eius Capituli, seu Vicarij Capitularis ordinari possint.

11 Dixi transacto anno, quia infra annum solum concedit dimissorias illis, qui coarctantur ad ordines propter beneficia, & si contrarium fecerit Capitulum subiacet interdicto Ecclesiastico, & ordinati Maioribus Ordinibus sunt suspensi ab ordinum executione ad beneficium futuri Prælati, in minoribus verò non suspenduntur, sed priuantur privilegio Clericali præsertim in criminalibus, ut habetur in Concil. Trident. sess. 7. de reform. c. 10. & notat post alios Suar. de censur. disp. 1. sect. 1. nu. 20.

12 Bene verum est quod potest Capitulum infra annum per alium Episcopum exercere Pontificalia, & ordines conferre servata dispositione Concilij Tridentini, ut declaravit Sacra Congregatio eiusdem Concilij, ut post Nauarr. refert Fornar. in d. 4. notab. ex text. in cap. si Episcopus de supplend. neglig. Præl. in 6. & de huiusmodi capitulo, siue de eius Vicario sede vacante dicemus aliqua inferius.

13 Sic etiam potest concedere literas testimoniales de vita, & moribus, & ratio est secundum omnes quoniam istæ dici non possunt dimissoriae, ut post Nauarr. conf. 27. de temporibus ordinat. notat Forn. loco iam cit. Quarant. verb. ordo.

RESOLVT. CCXLIII.

1 De iure antiquo ordinatus maioribus extra tempora a iure statuta, aut ante legitimam ætatem, aut ab alieno Episcopo sine literis dimissorijs, suspensus est ab ordinibus ipso iure.

2 Si in tali suspensione ministraverit in irregularitatem incidit, in qua solus Roman. Pontifex dispensare potest.

3 Per constitutionem Sixti Quinti prædicta pena extenditur etiam in minoribus.

4 Per Concilium Tridentinum statuta est pena, ut ordinans per annum a collatione, & ordinatus ab exercitio ordinum quandiu Ordinatio videbitur sit suspensus.

An Bulla Pij Quinti contra promotos ab alienis Episcopis absque literis dimissorialibus locum sibi vendicet in ordinatis ordinibus minoribus.

Q Væstio ista satis frequens, & quotidiana est & utilis cerrè ipsius indagatio propter graves penas, quibus a iure puniuntur ordinati sine literis dimissorijs proprijs Episcopi, & ex dicendis satis apparebit. Inspecto namque iure antiquo ordinatus maioribus ordinibus extra tempora a iure statuta, aut ante legitimam ætatem, aut ab alieno Episcopo, absque literis dimissorijs, quas reuocandas vocamus, suspensus est ab ordinibus ipso iure, ac si in illo ordine ministrare præsumperit irregularitatem contrahit, in qua solus Romanus Pontifex dispensare poterat, & habetur in extrauag. Pij Secundi, cuius initium est: cum ad sacrorum ordinum, quam referunt Rebuff. in praxi benef. 2. part. tit. de cleric. ad sac. ord. male promot. in glos. 4. pagina 439. Paul. Fusc. de visitat. lib. 2. cap. 28. num. 36. Petrus Bollo in ecumenica canonica 1. classe cap. 2. §. 7. pagina 49. Bernard. Diaz in praxi canonica cap. 26. ex num. 2. & ibi Salzed. in addit. in litera E. pagina 97. asserunt prædictam extrauagantem pluries fuisse renouatam per diuersos Pontifices, & præsertim per Pium Quintum, & Gregorium decimum tertium, & Sixtum Quintum, & idem attestat Franciscus Viuius in lib. 2.

lib.2. comm. opin. 202. ad finem Villadiego de irreg. cap.3. de suspens. nu.13. & ibi addit. Syluest. in summ. ver. irregularitas q.10. Viuald. in Candelab. Eccl. 1. part. tit. de sacram. ord. num.37. Nauar. in Manual. cap.25. num.70. Cordu. in quæst. 144. vers. Mas porqué el Papa fol.426. Iacob. de Grassis lib.4. cap.27. num.20. vers. nonus, Couar. in Clem. 1. par. 1. §.1. num.4. Quod omnino notandum est aduersus ea quæ scribit Hieronymus Lamas in 1. parte methodi cap.11. §.12. ex pag.176. existimans huiusmodi extrauagantes minime reperiri.

- Animaduersione tamen dignum est hodie per constitutionem Sixti Quinti contra clericos male promotos, prædictas penas olim statutas aduersus promotos ad ordines maiores extendi etiam ad minores ordines, vt in vtroque casu maneant ipso iure suspensi, qui eos susceperint sine dimissorijs ante legitimam ætatem, vel extra tempora quantum ad ordinatum sine literis dimissorijs sui ordinarij, rigor ille extrauagantis Pij Secundi vt scilicet remaneret ordinatus ipso iure perpetuò suspensus temperatur per Concil. Trident. in sess. 23. de reformat. cap.8. vbi habetur vt ordinans a collatione ordinum per annum, ordinatus verò a susceptorum ordinum exequutione quamdiu proprio ordinario videbitur expedire sit suspensus; & notant etiam Thom. Zerola in praxi prima parte §. dimissoria in principio Ledesma in summa tit. de sacram. ordin. c.8. vers. septima conclusio. Gutierrez lib.1. can.9. cap.26. num.24. poterit igitur proprius Episcopus, quando sibi visum fuerit tollere hanc suspensionem interim verò quod non tollitur si sic suspensus Sacerdos celebrat, & Diaconus, vel Subdiaconus, tamquam talis in Ecclesia ministraverit irregularis erit per supradicta, & tradunt Gutierrez in dicto c.26. ex num.32. Rodriq. in sum. 2. par. c.14. num.12. Viuald. in Candelab. Eccl. 1. part. tit. de sacram. ord. num.14. vers. vndecima, & in num. 37. Nauar. lib.1. tit. de temp. ordinat. consil. 24. num.4. & consil. 29. in fin. verb. Grassius lib.4. cap.25. num.18. Lop. inst. consil. 2. part. cap.29. de irregularitate circa ordines part. 1001. vers. denique, & in vers. præterea, quia Petrus in ea pag.49. in addit. Margin. in litera D. Salced. in praxi cap.26. in litera C. vers. 4. nec pag.98. Lud. Beica cal. 34. Lel. Zech. de cal. refer. 1. num.19. vers. 4. clericus. Cord. in d. cal. 144.

RESOLVT. CCXLIV.

- 1 Promoti a nō suo Episcopo ad sacros ordines varijs penis debent affici.
- 2 Transferens domicilium potest ordinari ab Episcopo illius loci absque literis ordinarij originarij, idem est in obtinente beneficium in aliena diocesi vid. num.3.
- 4 Triennio commorans cum Episcopo sortitur forum illius diocesis, & potest ab illo Episcopo ordinari non solum in minoribus, sed etiam in maioribus vide num.5.
- 6 Episcopus ordinans familiarem suum, cui contulit beneficium non potest cum eo dispensare in interstijis.
- 7 Subditus Episcopi longo tempore suspensus potest ordinari ab alio Episcopo viciniore absque dimissorialibus.
- 8 Monachus exemptus a iurisdictione ordinarij ab Episcopo eiusdem diocesis promoueri potest ad maiores ordines absque literis proprij Abbatis.
- 9 Abbates exempti possunt concedere literas dimissoriales ad ordines suscipiendos suis regularibus.
- 10 Clericus promoueri potest ad sacerdotium cum literis legati de latere absque literis sui ordinarij.
- 11 Episcopus alienus potest conferre ordines clericis non subdito cum spe ratihabitionis Episcopi ordinarij, sed vide contrarium num.12.

habet Aloys. Ricc. Praxis. Pars III.

Quibus in casibus subditis alienis potest Episcopus sacros ordines conferre absque literis dimissorialibus proprij Episcopi.

1 **Q**uia varijs penis afficiuntur promoti ad sacros ordines a non suo Episcopo sine literis dimissorijs, vt supra dictum est, ideo vt eas quisque pertimescens effugere conetur opere pretium duxi pro coronide istius quæstionis recensere casus, in quibus potest quis ordinibus insigniri ab alieno Episcopo absque literis dimissorijs, & primus est si quis mutare

2 contingeret domicilium tunc enim Episcopus eius loci, quò ipse transtulit domicilium poterit illum ordinare absque ordinarij originarij literis, idem etiam dicendum est in eo casu, si quis inquam beneficium obtineat in aliena Diocesi, sortitur namque domicilium illius Diocesis, & rectè poterit promoueri ab eo Episcopo, sicut ab Episcopo originis, qui duo casus expressè deducuntur in cap. cum nullus de tempor. ordin. in 6. & tradunt Cuchius lib.1. inst. tit. 4. §.1. in fin. Grass. lib.3. cap.2. numer.13. versicul. sextum. Nauar. lib.1. tit. de tempor. ordin. consil. 10. numer.3. & consil.11. per totum. Maiol. de irregularitat. lib.4. cap.2. numer.4. Optime Henriquez lib.10. de Sac. Ord. cap.27. numer.1. subdens, quod quilibet ex ipsis Episcopis, siue originis, Domicilij, vel Beneficij potest literas dimissorias concedere, vt sibi subditus valeat a quocunque Episcopo ordinibus insigniri, & idem sequitur Salzed. in addit. ad Bern. Diaz in cap.26. in litera C. vers. has autem dimissorias pagina 39.

4 Tertius casus est quando quis triennio commoratus fuerit cum aliquo Episcopo sortitur nanque forum, & domicilium illius Diocesis quo ad hoc, vt ab illo ordinari possit etiam non habita licentia Episcopi originis si statim cum ordinibus conferatur illi beneficium ex Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap.9. & tradit decif. Rotæ 731. ex num.2. in 1. par. Ledesma in sum. tit. de Sac. ordin. cap.8. pagina 868. vers. el tercer caso. Nauar. lib.1. tit. de tempor. ordin. consil.23. numer.1. & inhærendo verbis Concilij ibi familiarem, innuitur, hoc tantum procedere in illis familiaribus, qui cum Episcopo commorantur, id est qui sunt præsentibus, & assistunt obsequijs Episcopi. Alioqui si absentes sint in regione remota, etiam si illius sumptibus vivant quasi procuratores, vel quomodolibet mercenarij, videtur eos per hoc nō acquirere domicilium, vel facultatem promouendi quoniam in tam longa absentia non rectè potest Episcopus nosse illius mores quandoquidem hoc crimen a concilio præfixum, posset ad hoc principaliter suffragari, quod mores, & vita ab Episcopo cognoscantur Argum. cap. si quis incognitus 17. quæst.2. & ita interpretantur dictum textum Concilij Maiol. in eo lib.4. cap.2. num.5. Rodriq. in sum. 2. part. cap.14. num.10. vers. el tertio. Salzed. ad Diaz in cap.26. in lit. C. pag.95. vers. tertius casus est.

5 Quod decretum Concilii haberet locum tam in minoribus, quam in maioribus ordinibus, & vtroque casu opus esse collatione beneficii congregatio dominorum Cardinalium Concilii Tridentini censuit 6. Septembris ann. 1581. vt refert Rota decif. 231. n.3. in 1. par. in nouis, & Zerola in 2. par. §. ordo vers. 5. dubitatur post med. Nauar. consil. 23. num.1. de tempor. ordin. & quando dicitur quis familiaris vide decif. Rotæ 619. 3. par. in nouis.

Circa quem text. Concilii dubium elegans est, quare requirit in familiari triennium, & beneficium si enim sufficit beneficium, cur est opus triennio? respondet plura cumulando Thom. Zerola in praxi Episc. 1. par. §. dimissoria ad ordines num.1. fol.68. & in 2. par. §. ordo. vers. 5. dubitatur fol.51. quem videat

L

deat lector, si placet qui etiam ibidem in vers. 6. subdit, quod Episcopus, qui ordinavit suum familiarem triennalem, cui contulit beneficium, non potest cum eo dispensare in interstitijs videlicet, ut non elapso anno ab accolito fiat subdiaconus, & similiter a subdiacono diaconus, & ab hoc ascendat ad presbiteratum, ad quod allegat Nau. conf. 26. numer. 1. de tempor. ordination. quem optimè interpretatur, & declarat idem Tho. Zerola in dict. §. ordo vers. 7. Led. in sum. de sacram. ordin. cap. 8. ex pag. 867. versic. Digo lo segundo.

7 Quarto Episcopus non subdito ordines potest conferre absque literis dimissorijs, quando proprius Episcopus esset longo tempore suspensus, ob eam scilicet causam quod alienos ordinavit, tunc enim iure fit proprius, ut tradunt Maiol. lib. 4. c. 2. num. 6. & in cap. 5. ex num. 2. in fin. optimè Henric. lib. 10. tit. de sacram. Ordinis cap. 2. n. 4. Rodriq. 2. p. c. 14. n. 10. Salzed. vbi sup. pag. 94. vers. tribus tamen casibus Viuald. in Candelabr. 3. p. c. 8. n. 9. Ledes. in sum. tit. de sacram. ordin. c. 8. vers. 5. concl. pa. 68. Rebuff. in praxi 1. part. tit. formula dimissorialium liter. n. 19. dicens quod ipsi ordinati probare tenentur Episcopi suspensionem per declarationem metropolitani alioquin enim non crederetur ordinanti.

Nec supradictæ resolutioni videtur obviare cap. 3. sess. 23. Concil. Trident. vbi habetur vnumquunque a suo Episcopo ordinari debere, quia intelligi potest, ut ait Zerola in locis supradictis habilibus stantibus terminis, scilicet vero quando est suspensus.

8 Quinto Monachus exemptus a iurisdictione ordinarij ab Episcopo eiusdem diocesis promoueri potest ad maiores ordines sine literis dimissorijs proprij Abbatis seu superioris: ut innuere videtur Con. Trid. sess. 23. de Reform. c. 10. & Tiraq. de retr. lign. §. 1. gl. 8. n. 23. in fin. Henric. lib. 10. tit. de sacram. ordin. c. 23. n. 4. quod quamvis regularibus ad minores Abbas, ad maiores tamen ordines eos conferre nequit etiam si sit prouincialis vel generalis: sed solum Episcopus in cuius diocesi habent domicilium proprium, excepta religione Societatis Iesu, in qua ex privilegio Gregor. XIII. concessio anno 1584. potest suus superior dictas reuerendas concedere.

Contraria tamen opinio mihi verior videtur, ex ijs præsertim, quæ tradit Nauarrus lib. 1. tit. de tempor. ordin. in consil. 21. vbi quærens quis sit ordinarius religiosi ad dandas literas dimissorias ad ordines. Respondit, quod prælatus superior huiusmodi regularis est quo ad hoc eius ordinarius; quia cum sit exemptus a iurisdictione Episcopali dicitur ipse habere iurisdictionem quasi Episcopalem iuxta gloss. solemnem, & communiter receptam in verb. proprii in Clement. 1. de rebus Eccles. non alien. Quam etiam opinionem sequitur idem Nauarr. in eodem tit. de tempor. ordin. consil. 22. numer. 1. & idem sentire videtur Siluest. in sum. ver. ordo il. 3. numer. 1. in fin. in illis verbis (vel sui prælati si sunt religiosi exempti) & Graff. libro 3. capit. 2. numero 14. in fin. ibi (nisi sint exempti) quia sufficit licentia sui Prælati. Henriquez libro 7. tit. de indulgent. capit. 22. in princ. pagin. 559. quod satis probari videtur in Concil. Trident. sess. 14. de Reform. mat. pagin. 10. ibi (contra ipsius prælati) idque expresse defendit Rodriq. in sum. 2. par. cap. 14. num. 9. afferentes eam opinionem consuetudine vniuersali receptam esse, eamque per Bullam Sanctiss. Clement. VIII. concessam in fauorem religiosorum Diui Bernardi approbari, vbi Sanctissimus Dominus noster dicit, hanc opinionem non esse contra decisionem Concil. Trident. in eo cap. 10. optimè probatur a contrario sensu quod Abbates exempti possunt concedere huiusmodi literas dimissorias ad ordines

fulcipiendos regularibus suis. Nam solum Abbatibus ibi prohibetur eas literas Clericus secularibus concedere, ut annotauit Rodriq. in eo numero 9. & in num. 11. vbi Viuald. in Candel. 3. part. capit. 8. num. 13. & Nauarr. in eo consilio 21. num. 1. & per consequens non videntur prohibiti eas concedere regularibus.

10 Sexto Clericus promoueri potest ad sacerdotium cum literis dimissorijs Legati de latere absque sui Episcopi facultate Graff. lib. 4. cap. 27. num. 27.

11 Septimo ut dicunt Doctores alienus Episcopus sibi non subdito ordines canonicè conferre potest sine literis dimissorijs cum spe rati habitationis proprij Episcopi tunc siquidem nulla dimissoria literæ necessaria sunt, & absque penæ metu id fieri potest, ut tradunt text. & gloss. in verb. quod sanctus vir in capit. Lugdunensis 9. quæstion. 2. per quæ iura, & per alias rationes hanc opinionem defendit Maiol. lib. 4. capit. 20. numero 7. & in capitulo 20. numero primo, & eam sequitur Rodriq. in summa 2. part. capit. 24. numero 40. versicul. il secondo caso. Ledesma in summa tit. de sacram. ordin. capitulo octauo pagina 868. versicul. el segundo caso es, & Nauarr. lib. primo tit. de tempor. ordin. consil. 5. versiculo tertio.

12 Contrarium tamen innuit gloss. in verb. figmento in capitulo eos de tempor. ordin. in 6. & hanc opinionem sequuntur Rebuff. in prax. capitulo primo titulo de formula liter. dimissor. num. 11. & Salzed. in addit. ad Diaz in dict. capitulo 26. pagina 95. versiculo secundus quando; secundum quos ista opinio ea ratione fuit, quia proprius Episcopus eam ordinum collationem ratam habere non potest, quæ suo nomine celebrata non fuit, ut in regul. ratum de reg. iur. in 6. & cum huiusmodi ordinatio sacris Canonum decretis irrita sit, rata haberi minimè potest ex l. quod ab initio ff. de reg. iur. & tradunt Salzed. & Rebuff. vbi supra numero 12. & quod talis ordinatus deponi debeat probatur ex capitulo quod translationem de tempor. ordin. & Concil. Calcedon. capit. 19. de quo in capitulo Clericos distin. 71. & tradit Alberic. in verb. ordinator. in princip. post sum. confes. tit. de arate ordinan. quæst. 58. & quamuis his, & alijs rationibus, quæ adduci possunt in huius opinionis confirmationem intendat satisfacere Nauarr. in lib. primo tit. de tempor. ordin. consil. 42.

Mihi tamen hæc sententia verior videtur aduersus Nau. & alios supra relatos, ipsorum namque sententia ansam præstaret Episcopis, ut hoc quæsito colore alienos ad ordines promouerent, & inde innumera damna orirentur, tolliturque etiam hoc pacto discordia, quæ nasceretur inter Episcopos ipsos ex ordinatione alterius subditi, tam circa ipsius ordinati alimoniam, casu quo sine titulo sufficienti esset promotus, quam in alijs casibus, & pro hac opinione optimè etiam facit, quia vbi in aliquo actu licentia alicuius desideratur ea præcedere omnino debet Auth. licentia C. de Episcopis, & Cler. l. si quis mihi bona §. iustum, vbi Doct. ff. de acqu. hered. nec sufficit licentia tacita, & præsumpta, sed omnino expressa requiritur, ut tradit Corset. sing. 159. incipiente licentia Lap. allegat. 86. num. 3. Tiraq. in l. Conub. in glo. 7. num. 8. Molin. de prim. lib. 2. c. 1. num. 2. Did. Perez lib. 1. tit. 2. l. 8. in gl. fin. consentimento ad fin. pag. 49. Caballin. Milleloq. 528. n. 1. dicens, quod vbi requiritur licentia alicuius in actu perficiendo non potest postmodum per confirmationem, vel ratificationem suppleri, quemadmodum in simili dicimus, quod excommunicatio non potest fieri nisi in subditum, circa quem quis habet iurisdictionem, ut habetur in cap. a nobis 1. de sent. excommun. & lat. in non

in non subditum nulla est c. p. & G. de offic. & potest iud. deleg. neque conualefcit, quamvis postea rata habeatur a proprio Iudice ex glol. in c. 1. in verb. rata 9. quæst. 2. Innoc. nu. 6. & Pan. nu. 19. in cap. prudentiam de offic. & potest. iud. del. quia quod nomine meo gestum non est ratum habere non possum, ut habetur in reg. ratum de reg. iur. in 6. & quia cum talis sententia ab initio nulla fuerit ex defectu iurisdictionis, non potest rata haberi, quia quod nullum est ratificari non potest l. quod ab initio ff. de reg. iur. Sayrus de Centuris lib. 1. cap. 15. num. 20. & 21. & similiter in pulchro casu id annotarunt Menoch. conf. 188. num. 7. & 8. & de arb. casu 474. numer. 14. Salzed. in addit. ad Bern. Diaz in prax. capit. 73. vers. duodecimo. & in vers. decimotertio pag. 243. videlicet quod ad hoc ut matrimonium coram alieno Sacerdote celebratum firmitatem obtineat, & is Sacerdos a pena sit immunis, licentia expressa proprii Sacerdotis procedere debet, nec tacita sufficit, nec quod postea fuerit subsecuta: unde in nostro casu, cum quis promoueri non possit ad sacros ordines absque proprii Episcopi licentia, necessario fatendum videtur illam non sufficere tacitam, nec præsumptam, sed expressam desiderari, eamque omnino præcedere debere promotionem.

Ad argumenta autem in contrarium adducta patet solutio ex Rebuff. & Salzed. vbi supra, nec aliorum dicta, nisi magna ex causa repetere, aut transcribere soleo.

PRAXIS OBLIGATIONIS IN FORMA Camerae.

RESOLVT. CCXLV.

- 1 Omnes fideiussores habent beneficium excussionis.
- 2 Obligatus in forma camerae non habet beneficium excussionis.
- 3 Obligatus medio iuramento, non potest opponere beneficium excussionis.
- 4 Obligatus in forma camerae, licet non gaudeat beneficio excussionis, tamen petere potest quod fiat excussio periculo suo contra correos, sed contra sentit Rota, num. 6.
- 5 Generalis adeptio beneficiorum, non extenditur ad ea, quæ quis postea habiturus est.
- 6 Quando duo sunt insolidum obligati pro eodem debito, etiam quod contra vnum possit deueniri ad executionem realem, & personalem, contra alterum tamen, aduersus quem non potest fieri executio realis, & personalis, non possunt relaxari censura.

An fideiussor obligatus in forma camerae habeat beneficium excussionis.

CVM textus in auth. præsentis C. de fideiussoribus generaliter loquatur, & omnibus speciebus fideiussorum tribuat beneficium excussionis, videbatur propterea dicendum quod prædicto obligato in forma camerae pariter competere, nihilominus contrarium respondendo censui, ad quam opinionem firmandam allegabam Carroc. post alios de excussione bonorum q. 5. num. 1. par. 2. Carol. de Grafs. de except. 10. except. num. 46. Pacific. de salu. interd. inspect. 2. cap. 2. num. 16. post alios quos allegat, & inspect. 3. c. 3. num. 46. in fine Card. Mantica. de tacit. & ambig. conuent. lib. 16. tit. 16. nu. 8. circa finem versic. quod tamen est intelligendum, & tit. 17. num. 9. Morel. variarum resolut. lib. 2. cap. 130. num. 7. & 8. Rota Romana trium millium 18. Aprilis 1588. coram bon. me. Cardin. Blanchetto, quæ est decis. 143. num. 2. & seqq. Mediolanen. affectus 29. Martij 1596. coram bon. me. Orano, quæ est decis. 118. nu. 7.

Aloys. Ricc. Praxis. Pars I I.

Rota Romana mutui 16. Nouembris coram Illustrissimo Lancelloto, quæ est decis. 22. num. 3. Romana fideiussionis 18. Aprilis 1608. coram eodem, & in Romana census 18. Iunii 1601. coram Illustrissimo Mellino, quæ est decis. 55. num. 4. sicut etiam obligatus medio iuramento non potest opponere hoc excussionis beneficium, ut per plurimos, quos refert Mancin. de iuram. part. 4. effect. 32. num. 1. vbi pro contraria parte plures refert ibi num. 2. quæ videtur sequenda quando iuramentum fuit simpliciter prestitum, ut latè ibi per eum, sed licet non possit fideiussor alitrius vinculo huius obligationis iuari beneficio excussionis, nihilominus petere potest quod fiat excussio, periculo suo contra correos, non obstante renunciatione, quæ fit in nostra obligatione, quoniam illa continet renunciationem omnium exceptionum competentium obligato de tempore factæ obligationis, sed hæc exceptio non competebat obligato de tempore obligationis, sed postea quando fuit decreta executio contra omnes correos insolidum obligatos, & generalis adeptio beneficiorum non extenditur ad ea, quæ postea habiturus est, ut latè per Boccac. de societate. offic. num. 56. & 57. & tradit Castrac. eodem tractat. cap. 64. numero 10. sed contrarium scilicet quod hac forma obligatus non possit petere quod excutiantur alij fideiussores, tenuit Rota in causa Mediolanen. affectus 29. Martij 1596. coram bon. me. Orano, quæ est decisio 118. num. 7. quod non habet difficultatem, vbi sunt duo rei debendi æqualiter obligati, atque coniuncti, Veral. decis. 275. par. 2. verum tamen est, quod quando duo sunt insolidum sub hac forma obligati pro eodem debito etiam quod contra vnum tantum possit deueniri ad executionem realem, & personalem, contra alterum, contra quem non potest fieri executio realis, nec personalis, non possunt ad instantiam creditoris in subsidium relaxari censura, ut resoluit Sacra Congregatio Concil. Trident. interpr. quam resolutionem sequuta est Rota in dict. Mediolanen. affectus 29. Martij 1596. coram Orano.

RESOLVT. CCXLVI.

- 1 Obligatus in forma camerae, non potest opponere exceptionem declinatoriam fori, nec incompetentiæ iudicis.
- 2 Episcopus stante obligatione camerali potest procedere etiam contra laicos.
- 3 Vbi solutio tacitè, vel expressè est certo loco destinata, ibi debet reus conueniri.
- 4 Qui promisit certo loco, & tempore soluere, si ibi non inuenitur, præsumitur abesse per dolum, & potest conueniri, ac si ibidem inueniretur.
- 5 Administrator tenetur reddere rationem administrationis in loco, in quo administrauit.

Obligatus in forma camerae an possit opponere exceptionem iudicis incompetentiæ.

R Espondetur secundum Zaz. in tractatu de obligat. cameral. cuius tenor est videlicet, conuentus non potest opponere exceptionem fori declinatoriam, nec iudicis incompetentiæ. Mandos. de inhibit. quæst. 93. numer. 5. Marc. Anton. de Amatis, dict. decis. 81. dict. numer. 2. Su rd. dict. consil. 280. numer. 13. volum. 2. Carolus de Grafs. de except. 18. except. numer. 4. nec ille, qui executiuè tenetur, potest opponere exceptionem litis pendentiæ, quod idem est, ut post Gallef. quem allegat, tradit Ceual. opinion. comm. contra commun. quæst. 815. num. 26. par. 2. unde respondi dubitandum non esse, quod Episcopus stante obligatione camerali possit vigore illius procedere inter laicos

L 2 sua